

Memoria Justa sit in pace!

hoc est

SOLATIA FUNEBRIA

In honestissimas exequias

Nobilitate generis, & Christianarum

Virtutum laude Ornatissimæ

DNÆ. ANNÆ

CATHARINÆ,

Natal. GISYCZKIÆ,

VIRI

Et insigni Eruditione, & aliis Studiorum liberalium

presidiis præclare instructi DOMINI

M. MARTINI Böhmi

de Gymn. Thorun. P.P. dudum meritissimi,

Conjugis desideratissimæ, amantissimæ,

A. 1674, d. 12. Julii, Mierunski in Prussia

Brandenburgica natæ,

A. 1710, d. 23. Julii, Thorunii præmatura

morte è complexu suorum ereptæ,

Atque d. 31. ejusdem Mensis Ceremoniis

solitis atque decentissimis

in Templo Mariano cobonestatæ,

scripta

à

MINISTERIO THORUNIENSI.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS.
TYPOGRAPHUS.

T *Eq; Tuosq;* Deus servabat tempore duro,
 Annos Mors quando sæviit ante duos.
 Laus Domino! dixi; dixisti Tu quoque lætus;
 Ast, jam designat quid Libitina redux?
 Uxorem subitò rapit, heu! multum redamatam,
 Optâras Tibi quam vivere mille dies.
 Sic *DOMINO* placuit. Placeat Tibi sic quoq; multos
 Qui Tu ritè doces, *Velle probare Dei.*
 En! *DEUS* ipse dedit, *DEUS* idem sumpsit Eandem,
 Sint ergò, dicas, gloria lausque DEO.
 Ast, si quid mea vota valent, TE gratia Summi
 Salvum prætet adhuc incolumemque diu.

*Longiori affectu, quam versu,
 VIRO, de Juventute Studiosa bonisq;
 literis dudum optime merito,
 DN. Compatri meo ac Fautori
 honoratissimo,
 mortem Conjugis perdilecta dolenti,
 Condoleo*

EPHRAIM PRÆTORIUS,
 Ecclesiarum Thorun. SENIOR.

E N Tibi mortua jam Conjux est, svavis Amice,
 Vtæ quæ fuerat grata Corona Tuæ.
 En plâne cecidit sociæ pars altera vitæ
 Reddendo madidas funere merfa genas.
 Certe prægrandis res est haud parva doloris,
 Si quem destituat, chara marita virum,
 Quæ fuerat pia, casta, modesta, benigna, decora
 Et quoque concordis splendida gemma tori.
 Est superanda tamen, justissima causa doloris,
 Nam toleranda Tibi, quæ pia fata volunt.
 Hoc potius Te soletur, Charissime, morem
 Qui docta bene scis cum probitate DEI
 A lue quæ vitam mortalem perdidit, illa
 Nunc haud mortales repperit inde Lares.
 Scilicet in cælis Tua Conjux læta triumphat
 Pestis ubi & belli nulla pericla timet.

*His Clarissimo viduo, & Charissimo suo Domino
 Compatri tristia post funera
 Charissima sua marita*

*agenti
 adesse voluit*
MICHAEL Ringeltaub/ Senior.
Eccl. Neopol. Thorunii.

H Actenus heu! pressit rigidi Inclementia Fati
 Multos, & subitæ tradidit atra neci.
 Pallida Morsque tuas, *Clarissime*, percutit ædes,
 Dum *dulcem Costam* præpete Cæde rapit.
 Sed benè certavit; nunc aspicit Æthera felix
 Et nobis monstrat splendida ad Astra viam.
In honorem pie Defunctæ scrib.
M. GODOFREDUS WEISSIUS,
ad D. Mar. Eccles.

M Ortua quid fertur *nunc Böhmia?* mortua non est,
 Vivit ea in cælis, gaudia mille tenens.
 Vivit & in terris, fama, virtute celebris,
 Quis in tentata splenduit usque fide.
 Vivit & in natis, quas post pia fata, duabus,
 Deseruit Genitrix non sine mente pares!
 Vivite Vos Natæ, vigeat rediviva propago
 Per Vos, dum Mater tendit ad astra Poli.
Debitæ Condolentiæ causa cecinit
MARTINUS OLOFF,
Ecclesiastes Polonicus ad D. Mariæ.

Ad Mæstissimum DN. VIDUUM,
Compatriem & Amicum Honorandum.

Q Uæ me, quæ plures duræ inclementia fortis
 Perculit, hæc eadem Te modò, AMICE, ferit.
 Dum vitæ Thalamique Tui fidissima Confors
 Et Patri, & Soboli, vi necis eripitur,
 Deficit: ah durum! rumpuntur disque-trahuntur
 Sic fortunati vincula Conjugii?
 Gratulor Uxori requiem, sedesque Piorum,
 At deploro Tuam, Fautor amande, vicem,
 In viduo posthac Lecto persæpe dolebis:
 Nam patet in curas area lata Tuas.
 Sed qui Conjugii nos Fœdere copulat, idem
 Et potis est junctos dissoluisse DEUS!
 Huic parere decet. Cessent suspiria, cesset
 Conficiens totum Corpus & ossa dolor!

SAMUEL Schönwaldt/ Ecclesiast. Neopolit.

E St aliquid, si quis præclaro stemmate natus,
 Cum proavis atavos enumerare potest,
 Major Nobilitas ast est pietate suapte
 Niti, quin Christo rite placere suo.
 Floruit ambabus virtutibus, optima Conjux,
 Böhmia, quæ Viduo tristia fata parat.

Hunc tamen insigni soletur sanctus JOVA
Læticia, duris eripiatque malis.

posuit solatii loco
CHRISTOPHORUS RAZKI. Eccl. ad S. Georg.

QUIS neget esse vices tristes, quando uxor amata
E thalamo in tumultum morte furente venit?
Quam si quis renuat mœstis deslere querelis,
Hunc lapis & sævæ progenere feræ.
Quicquid amor verus, ratio quid svadet honesta,
Hoc præstas, justæ profiliunt lacrymæ.
At nimias lacrymas tamen haud effunde, memento:
Qui sociam adjunxit, dissociavit eam.

Condol. apposuit
DANIEL KOEHLER, Eccl. ad D. Mariæ.

SIL carmen lætum petiisses Clare Magister,
Illud prolixè scribere promptus eram;
Sed dum triste peris, nolens augere dolorem
Afflicti cordis, sum brevis, atque precor!
Ut Deus ereptum fato Te servet in annos
Multos, & Tecum pignora chara simul:
Turbine nec simili fatum invasisse Lyceum
Atque tuam posthac experiare domum.

Hac animo lugenti deproperabas
MICHAEL RINGELTAUB,
Ad ædem SS. Trinit. Ecclesiastes.

CUM mœstis aliis solamina mille ferebas,
Unum vel poteris accumulare Tibi.
VIR perchare DEO, sidus Patriæque serenum
Nostræ, permissum fer patienter onus.
Ille DEUS, qui Te mœsto mœrore replevit,
Multâ lætitiæ Te cumulabit ope.

*Pauca hæc, inter belli turbas
publicasq; expilationes.*
Præcl. Dn. Professori, Nobiliss. Conjugem
amissam acerbe lugenti

f.
GODOFREDUS CHOLEVIUS, Past.
Gremb. Rogov. & Leibicensis.

QUÆ benè trivit iter divæ virtutis & arctæ:
Hæc nunquam poterit morte perire mala.
Böhmiæ quin vixit bene, divinumque secuta
Verbum, post vitam vivit in arce poli.
Sed Viduum mœstum DEUS erigat, atque gubernet,
Ut post mœstitiam gaudia læta ferat.

*Solaminis ergo
simul & doloris adjecit*
JOHANNES HELDT. Pastor Gurskensis.

